

Ego Conradus presb. card. tit. Pastoris interfui, A et ss.

Ego Deusdedit presb. card. tit. Damasi ss.

Ego Sasso presb. card. tit. S. Stephani ss.

Ego Petrus presb. card. tit. S. martyris Susan- næ ss.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Chrysogoni ss

Ego Petrus presb. card. tit. S. Callixti ss.

Ego Petrus presb. card. tit. S. Marcelli ss.

Ego Sigito presb. card. tit. SS. Marcellini et Petri ss.

Ego Gregorius presb. card. tit. S. Sabinæ ss.

Ego Gerardus presb. card. tit. SS. Aquilæ, et Priscæ ss.

Ego Ubertus presb. card. tit. S. Clementis ss.

Ego Gregorius S. Angeli diac. card. ss.

Ego Romanus diac. card. S. Mariæ in Porticu ss.

Ego Hugo diac. card. S. Theodori ss.

Ego Stephanus diac. card. S. Mariæ in Cosme- din ss.

Ego Joannes diac. card. S. Nicolai ss.

Ego Angelus diac. card. S. Mariæ in Domni- ca ss.

Ego Hyacinthus prior subdiac. sacræ basili- cæ ss.

Ego Hermannus sacræ basilicæ subdiaconus ss.

Ego Nicolaus sacræ basilicæ subdiac. ss.

Ego Silvius prior subdiaconorum de Cruce ss.

Ego Petrus subdiac. subsc.

Ego Caleph subdiac. subscripsi.

Ego Matthæus sacræ basilicæ subdiaconus ss.

Ego Joannes qualiscunque subdiaconus ss

Ego Bobus subdiac. sacri palatii ss.

Ego Gerardus subdiac. ss.

Ego Stephanus sacri Palatii subdiac. ss.

Ego Bonifacius clericus ss.

Datum Laterani per manum Aimerici S. R. E. diac. card. et cancellarii, xii Kal. Augusti, ind. iv, Incarnationis Dominicæ an. 1126, pontificatus autem D. Honorii papæ II an. ii.

#### XLVIII.

*Petro abbati abbatiam Cluniacensem asserit, Pontium- que, excommunicatum, invasorem, deprædatorem, sacrilegum et schismaticum, damnat*

(Anno 1126, Oct. 20.)

[MANSI, Concil., XXI, 338.]

HONORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio PETRO Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Universalis Ecclesiæ sollicitudo nobis a dispensa- tione omnium bonorum Deo commissa, mentis inten- tionem incessanter urgere non desinit, religionis statum inconvulsum servare, et religiosi loci liber- tatem debitam custodire. Sancta tamen mater Eccle- sia, quæ ad tempus ex parte peregrinatur in terris, multarum oppressionum purgatur turbine, et validæ persecutionis examinatur fornace, cœlumque inspi- ciens, gemebunda suspirat, donec illi cœlesti præsen- tialiter uniatur, quæ de immarcessibilis coronæ re-

A munerata præmio, sui creatoris contemplatione læ- tatur. Cæterum navis B. Petri cœlorum clavigeri, cui Christus præsidet gubernator, quamvis multis collidatur procellis, et horrendis ventorum flatibus agitetur, nunquam tamen naufragii damnum incur- ret; sed ad portum tranquillitatis cum eis qui ei adhærent, secunda perveniet. Pontius siquidem B. Benedicti inimicus, præceptionibus et monastici ordinis malleus, qui Cluniacensem abbatiam in manu prædecessoris nostri felicis memoriæ papæ Calisti sine spe recuperationis refutaverat, et se perpetuo Jerosolymis victurum voto astrinxerat, contra vo- luntatem Dei et nostram, Cluniacense monasterium superba obstinatione et præsumptione sacrilega oc- cupavit: nitorem vero religionis Cluniacensium fra- trum, quæ per totam Galliam claruerat, perturbans, corda simplicium veneno suæ pravitatis infecit. Præ- terea sacrilegium et rapacitatis flagitium præteritis superaddens peccatis, vasa sacra, et thesaurum mō- nasterii, qui ex voto fidelium ad pauperum usus, cum foret opportunum, fuerat destinatus, diripuit, et ejus maximam portionem pro retinendis militibus, sagittariis et balistariis dissipavit. Quia igitur in tanta pertinacia induratus, nequaquam resipiscere vo- luit, venerabilis frater noster Humbaldus Lugdunen- sis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, in eum excommunicationis sententiam promulgavit. Cæte- rum, postquam tantum periculum tantamque reli- gionis stragem Cluniacensi monasterio imminere veridica relatione cognovimus, dilectum filium no- strum Petrum diaconum cardinalem de gremio sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad partes illas mittendum duximus, qui præcepto et auctoritate nostra Pontium invasorem, et fautores ejus vinculo anathematis innodavit. Post hæc autem, tu, dilecte fili Petre Cluniacensis abbas, et idem Pontius proximis B. Michaelis octavis, ad nostram venire præsentiam, et de prædicta controversia et excessu nostro et Ro- manæ Ecclesiæ obedire judicio statuistis, et ne super hoc vestrum aliquis falleretur, utrinque obsides in præsentia prænominati dilecti filii Petri cardinalis diaconi præbuistis. Statuto itaque termino, nostro te conspectui præsentasti. Pontius vero cum mona- chis, et burgensibus, nondum tamen cum suis ab excommunicationis vinculo absolutus ad Urbem ve- nit. Ut autem secundum usum ecclesiasticum de excessu pro quo excommunicatus fuerat, satisfacere et postmodum, juxta rationis ordinem, ad cau- sam suam permetteretur agendam, a nostris fratribus est sæpenumero requisitus; ipse vero spiritu elatio- nis tumidus in inficiationes et verborum involucra assueto more linguam extendens, satisfacere nobis et Ecclesiæ Romanæ contempsit: nos siquidem quosdam monachos qui cum eo venerant, post acceptam satisfactionem recipimus, et ad causam suam agendam admisimus. Tunc ergo te in Clunia- censem abbatem canonice, et secundum beati Bene- dicti regulam electum, ac per prædecessorem no- strum felicis memoriæ papam Calistum, et per nos

ipsos confirmatum, modo vero per Pontium invasorem, et complices suos infideles burgenses fuisse expulsum, bona etiam monasterii, et thesaurum fuisse distractum, per charissimum filium nostrum Matthæum priorem S. Martini de Campis, quem advocatum et causæ tuæ patronum statueras, supplicem allegasti, et ut tibi de ablatis restitutio, et de irrogata injuria justitia fieret postulasti. Cæterum monachi, qui cum Pontio venerant, ex adverso pastorem suum Pontio sibi fraudulenter ablatum, nec unquam eum Cluniacensis monasterii regimen dimisisse acclamabant. Qui statim productis apostolici viri regestorum papæ Calisti voluminibus, et assertionem testium, qui tunc præsentem fuerunt, convicti sunt. Ut igitur verba ipsius ad Pontium directa ponamus, hæc sunt : « Tibi præcipimus ut ab hujusmodi levitate desistas, et quam in manu nostra sine recuperationis spe refutasti Cluniacensem abbatiam nullatenus molestare præsumas. Si vero nostri præcepti transgressor exstiteris, gratiam beati Petri, et nostram amittes; et si quando ad nos clamaveris, non exaudieris. » Item ad conventum Cluniacensem inter cætera : « Zelum inter vos et contentiones agitari multorum relatione comperimus, et vehementius aggravamur. Pontius enim qui olim vestro monasterio præfuit, concordem unitatem vestram dividere, et simplicitatem mentium vestrarum sollicitare non desinit : unde universitati vestræ præcipimus, ut sicut per obedientiam beati Petri salvare animas vestras cupitis, protinus abjectis omnino schismatibus charissimo filio nostro Petro Cluniacensi abbati unanimiter et devote humilitatis subjectionem et obedientiam deferatis, et in Pontio illo, qui in nostris manibus sine spe recuperationis abbatiam Cluniacensem penitus refutavit, nullam de cætero spem habeatis; cum quod de eo in causa hac constituimus, nulla prorsus ratione mutabimus. Si quis autem vestrum hujus præcepti nostri temerator exstiterit, si abbatiae vel alicujus prælationis nomine insignitus fuerit, vel ordinis promotionem habuerit, dignitatis, et ordinis sui detrimentum sustinebit, et anathematis sententiæ subiacet. » Idem de eodem ad te, Petre fili charissime : « Quod autem de Pontio illo qui olim abbatiae Cluniacensi præfuit, quam omnino sine recuperationis spe in manibus nostris refutavit constituimus, nulla volumus ratione mutare. » Quocirca quemadmodum judicis postulabat officium, diligentius indagato negotio, habito consilio, et communi assensu fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium, Petro præfecto urbis, et aliis nobilibus Romanis, et legisperitis collaudantibus, ex sententia de Cluniacensi abbatia, de monachorum obedientia, de omnibus tam exterius, quam interius ad eandem abbatiam pertinentibus, plenarie te per abundantem justitiam investivimus : obsides vero quos pro executione justitiæ dederas absolventes, illos quos Pontius et burgenses pro parte sua obligaverant, alligavimus. Burgenses etiam de thesauro Cluniacensi monaste-

rio restituendo, et alio damno restaurando in manu tua, ad quem cura spectare cognoscimus, damnavimus, pœna legali adhibita : verum ipsius pœnæ relaxatio est tuæ discretioni commissa. Præterea Pontium excommunicatum, invasorem, deprædatorem, sacrilegum, et schismaticum condemnantes, sententiam beatæ recordationis prædecessoris nostri domini papæ Calisti in ipsum Pontium datam, ut videlicet nullo tempore Cluniacensem abbatiam recuperet, apostolica auctoritate firmavimus. Si quis autem in posterum hanc nostræ diffinitionis sententiam violare tentaverit, laicus anathematis gladio feriatur, clericus honoris et officii privatione multetur.

Ego Honorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

B Ego Portuensis interfui.

Datum Laterani per manum Aymerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis cancellarii, xiii Kal. Novembris, indictione iii, anno Dominicæ incarnationis 1126, pontificatus autem domini Honorii II papæ secundo.

#### XLIX

*Privilegium pro parthenone Fontis Ebraldi.*

(Anno 1126, Nov. 1.)

[PAVILLON, *Vie du B. Robert d'Arbrissel*, preuves, p. 625.]

HONORIIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ P., abbatissæ monasterii S. Mariæ de Fonte Ebraldo filiabusque succedentibus regulariter substituendis in perpetuum.

C Ad hoc universalis Ecclesiæ cura nobis a provisorum omnium Domino commissa est, ut religiosas personas et beneplacentes Deo religiones studeamus omnibus modis propagare : nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex charitatis intuitu, dilecta in Domino filia P. abbatissa, rationabilibus postulationibus tuis inclinasti misericorditer perhibemus assensum. Monasterium ergo S. Mariæ Fontis Ebraldi cujus regimen tibi a Domino speramus esse commissum, ne aliquibus fatigetur angariis, vel pravorum hominum vexationibus infestetur, et ut mundo corde, et puramente liberius valeatis Dei servitium exercere, tutela ac defensione sedis apostolicæ duximus muniendum. Quicumque ergo liberorum hominum pro salute animæ suæ apud vestrum monasterium, aut in oratoriis, aut locis ad ipsum pertinentibus Deo servire se voto et titulo professionis astrixerit secundum institutionem felicitis recordationis Roberti presbyteri, sine communi conventus assensu, locum ipsum deserere, et ad alium transire nullatenus habeat facultatem. Præterea oratoria quæ a vobis episcopi concessionem concessione constructa sunt, vel in posterum constructentur, nulli hominum omnino occupare liceat, vel ausu temerario infestare. Sane qui in vestris oratoriis divinis sunt famulatus mancipati, liberam ibidem habeant sepulturam. Porro decimas animalium vestrorum, et frugum quæ vestris propriis sumptibus excoluntur, a vobis exigere nemo præsumat. Statui-